TERENTIUS

Österreich (Wien), 1452

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1795
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner), Bibliothek

Equidem ego nam constitui cum quodam hospite me illum esse conventurum. Par. Dy vortant bene quod agas. Ph. Vale. Pa. Et tu bene vale Philotium.

Laches Sostrata

La. Proh deum atque hominum fidem. Quod hoc genus est quae haec coniuratio, ut omnes mulieres eadem eque studeant nolintque omnia neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperies. Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus. Viris esse adversas eque studium est. similis pertinacia est. In eodem omnes mihi videntur ludo docte ad malitiam. et ei ludo si ullus est magistram hanc esse satis certe scio. So. Me miseram que nunc quam ob rem accuser nescio. La. Hem tu nescis. So. Ita me dy bene ament mi Laches, itaque unam inter nos agere etatem liceat. La. Dy mala prohibeant. So. Me quam inmerito abs te esse accusatam post modum rescisses. La. Scio te inmerito accusatam. An quicquam pro istis factis dignum de te dici potest. que me et te et familiam dedecoras. Filio luctum paras. tum ex amicis inimici ut fiant nobis affines facis. qui illum decreverunt dignum suos cui liberos committerent. tu sola exorere que perturbes haec tua inpudentia. So. Ah ego ne. La. Tu inquam mulier que me omnino lapidem non hominem putas. An quia ruri crebro esse soleo, nescire arbitramini quo quisque pacto hic vitam vestrarum exigat. multo melius hic quam fiunt quam illic ubi sum assidue scio. Proinde quia ut vos mihi domi eritis proinde ego ero fama foris. Nam iam pridem equidem audivi cepisse odium tui Philomenam. Minimeque adeo mirum, et ni id fecisset magis mirum foret. Sed non credidi adeo ut etiam totam hanc odisset domum. Quod si scissem, illa hic maneret potius tu hinc isses foras. At vide quam inmerito egritudo haec oritur mihi a te Sostrata. Rus habitatum abii concedens vobis et rei serviens, sumptus vestros otiumque ut nostra res posset pati meo labori haud parcens preter equum atque etatem meam. Non te pro his curasse rebus ne quid egre esset mihi. So. Non mea opera neque pol culpa evenit. La. Immo maxime. sola hic fuisti. in te omnis heret culpa. Tu sola Sostrata que hic erant curares. cum ego solvi vos a curis ceteris. Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet. illius dices culpa factum. So. Haud equidem dico mi Laches.